




IN OBITUM BEATUM, SED PRÆMATURUM

Matronæ honoratißimæ & primariæ,

SOPHIÆ CAMERARIÆ,

Clarißimi, Amplißimi & Consultißimi Viri

DN. THEODORI PLONNIES


J. U. D. Illũst. Aulæ ac Consistorij Stetinensis Consiliarij, nec non Ecclesiæ Cathedralis & Ill. Pædagogij ibid. Capitularis & Provisoris dignissimi,

Conjugis longè charißimæ,

Quæ felici partu IX. Septemb. liberata placidißimè exspiravit X. ejusdem, humanda ejusd. XV,

Suspiria

Quorundam Studiosorum Oppidanorum συμπαθῶν.



S T E T I N I,

Typis Rhetianis, per Iohannem Christophorum Landtrachtingerum.

Anno
M. DC. XIV.

Ad Clariſs. & Conſul. Virum Dn. D. Theod. Plonnies Sophiæ Coſtæ ſuæ deſideratiſsimæ obitum præmaturum acerbiſsimè lugentem.



Lma tibi titulum Roſa deſignavit honoris,
Atq; comam cinxit rubra tiara tuam.
Conſilij promum te deîn Ducis aula vocavit,
Veſtiri vexâ quà ſolet ipſa Themis.
Nunc, eheu! Caræ defles pia buſta maritæ,
Et fers atratæ ſpinea ſerta crucis.
Macte mitris ſinglis, triplicíq; vir ample, corona,
Chriſtjano fuerat non ſatis una tibi.
Quod ſi mens invicta malo hoc patienter ovabit,
Urſeris & cœptam cum pietate fidem.
Immarceßibilis tandem, & ſic quarta ſequetur,
Ornabitq; tuum cœlicorona caput.

Aliud ad Eundem.

Eſt Theodore *tibi* Dorothea *filia nata,*
Et quoq; denata eſt cara marita tibi.
Illam a Iova dedit; *ſed ei banc* Jova abſtulit *idem,*
b *Et* bene cuncta *tamen* fecit Iova *ſimul.*
Ergo ne plora potius pæana Jehovæ
Dicitò, cumq; Jobo, c *ſis* benedicta, *cane.*
ô Sacroſancta trias! tua d dextera ſingula novit
In melius famulo vertere, (verte!) *tuo.*

a Iob.1. v.21. b Marc. 7. v.36. c Iob ut ſ. d ψ 77. v. 11.

Solatioli loco
συμπαθεὶς adjiciebam Ioach. Lizovius Rup. March.

DAnt natis lucem matres, sed lucē carentes
Ipsæ coguntur spicula obire necis.
Esse quid hoc dicam? quidvé hæc portenta figurant?
Quid sit & hoc dicam, quidvé figuret, habe.
Numinis irati signum est: occurrite flentes,
Et Christo flentes oscula sancta date.
Custodes legum, ingenuis & matribus omnes,
Nati, non matres, tollite scorta, viri;
Aut Deus ex radice ima ruet, eruet omnes,
Irato occurrat quilibet ergò Deo.

Nicolaus Pompejus Lusat. Golsensis.

QUod, vir clare, salum tua non secat amplius uxor,
In portu sed jam navigat, inq; vado;
Exors militiæ quod nunc in pace triumphat,
Floreq; cuncta comas Entheo, honora sedet;
Ad metam cursu confecto quod modò fixam
Aspiravit, & hinc nacta brabéon ovat;
Ædepol id plausum, non planctum jure meretur,
Non dignum hoc Elego, sed magis Elogio.
Sistito quin igitur, lachrymarum sistito fontes,
Singultusq; tuo corde, jubeto, ruant:
Et gratare ipsi potius de sorte potitâ,
Utq; fruatur eâ jugiter ipsa, jube.

Matthias Lizovius Rupp. March.

Quid

QVid tuæ tantis obitum maritæ,
Doctor insignis, lacrymis quietum
Asperum reddis tibi? quid dolore
Teq; fatigas?
Nil facis: vitæ meliora fata,
Invides saltèm melioris illi,
Et Dei contra placitum benigni
Arma capessis.
Namq; non sanè Physicô necata
Jure duntaxat tua Juno, dîvo
Sed magis fato hinc revocata; vivit,
Eccè! beatè.
Eccè! tranquillo fruitur triumpho,
Et sibi gaudet, tibi gratulatur
De suâ vitâ meliore, læto
Deq; triumpho.
Utere hâc contra lacrymas medelâ,
Doctor insignis, qverulo modumq;
Pone tormento; modus hôc gravi te
Fasce levabit.

Hieronymus VVoltersdorffius
Luchovio-Luneburg.

CEu tener in medio defloret floſculus ævo,
Quem violans nimio Sirius igne necat:
Sic & Apollonij dilecta marita mariti
Morborum flammis ah! violata cadis.
Sed cadis, ut ſurgas ſcandasq́ theatra beata,
Sic cadis, ut capias tanta theatra. Vale!

Jacobus Brandenburgius Rupino-Marchicus.

QVid ſibi vult gemitus? quid mœſtus plangor in (urbe,
Sunt fortè ingentis triſtia ſigna mali?
Sic certè eſt: Mulier claro de ſtemmate nata
Ecce puerperio proh dolor hæcce perit!
Heu Parcæ duræ non vobis mica pudoris,
Dum docti uxorem tollitis hinccè viri!
Hujus non vos Gnatarum ſuſpiria, planctus,
Non querulæ voces, nec pia verba movent.
O Parcæ immites, ſævæ nimis atq; feroces,
Quòd rapitis cunctos perpete falce procul.
Flebilis eſt res: ſed Mors hæc quia janua vitæ
Æternæ, nunc quid flere, dolere juvat?
Hæc etenim nacta eſt vitam pro morte beatam,
Cum Domino verè cœlica regna tenet.
Vos igitur Gnatæ, nec non Clariſsime DOCTOR,
Ponite nunc lachrymis ora rigare pijs.

Candol. ergò ſcribebat Daniel Waſſerfuhrer S. P.

Vita quid

*V*ITa quid est hominum? labor est. Ubi carpimus auras
Vitales, præstò sunt labor atq; dolor.
Pallida mox squalent exangui corpora morbo,
Mox animos hominum mille pericla premunt,
Mox mala, quæ eveniunt, arrodunt pectora, curæ
Mox tanquam stimuli saucia corda terunt.
Regnat in his terris nummorum fœda cupido,
Ex quâ, ceu constat, probra nefanda fluunt,
Regnant in terris perjuria, furta, rapinæ;
Regnant in terris insidiæ atq; doli.
Regnat in his terris trux, regnant jurgia, cædes;
Regnat & hic veri nescia turba Dei.
O nimiùm felix, ô terq; quaterq; beatus,
In Domino placidâ qui modò morte perit!
Iccircò, Doctor, Costâ private fideli,
Desine jam lacrymis contaminare genas.
Nam tua costa fugit mala mille, & mille pericla;
Cernit & Elysiæ regna beata plagæ.

Condolentiæ attestandæ ergò addebam

Philippus Rhetius.

IN solitas vires nostrum tinctura palatum
Pimplæi fontis decolor unda fluat,
Atq; vel in veteres prorsus recidiva meatus
Arida destituat littora & ora simul.
Altera quippe Venus, Juno altera & altera Pallas
Mortua, Apolloniæ spes columenq; domus:
Heî dolor! heî lacrymæ! dum prolem enixa fatiscit,
Dum pleno ætatis flore venusta nitet.
Exanimem matres matrem lugete futuri
Ignaræ; Hæc quod enim, quælibet esse potest. Ve-

Verùm plura negat fons, sentio, siccus, anhelâ,
Hasce siti fauces percoquor & raceo.
Condolens scribebam Laurentius Kleist.

IN genus humanum toties cur spicula jactas,
O mors? cur toties corpora falce necas?
Non tibi, dum sævis, juvenilia tempora curæ,
Non tibi discrimen stemmatis atq; loci.
Tu non Heroas metuis, sævamq; Mavortis
Prolem; nec Regum grandia colla times.
Corpora seu juvenum, seu longâ ætate gravatûm,
Seu formosorum pestiferò ense necas.
Nec non vincla tori solvis, quæ struxerat olim
In Paradisiacis vallibus ipse Deus.
Egregiam laudem, spoliumq; insigne tenebis,
In miseros homines quæ malè sana furis!
Corpora morte secas, obtruncas corpora: Verùm
Mens manet immiti non peritura nece.
Tellus ossa tegit, placidisq; in morte quiescunt
Sedibus: at pia mens ad supera astra volat.
Ad supera astra volat pia mens. Bacchari*er ergo*
Desine Mors: Etenim non tibi præda venit.
Christus habet mentem, divinô nectare Christus
Pascit eam: quare non tibi præda venit.
Christus conjunget tandem cum corpore mentem,
Limina cœlorum totus ut intret homo.

Συμπαθείας ἕνεκα apponebam
Franciscus Masius Prentzloâ-Marchicus.

ALIUD.

ALIVD.

Bulla misella sumus, tecum pervolvito corde,
Quisquis ades, verum est, bulla misella sumus.
Bulla misella sumus, finisq; ab origine pendet,
Nascimur & morimur, bulla misella sumus.
Bulla misella sumus, pauci longissima secla
Attingunt vitæ, bulla misella sumus.
Bulla misella sumus, si totum conspicis orbem,
Nil nisi triste vides, bulla misella sumus.
Ite per exemplum, quæso, virtutibus auctæ
Matronæ, quæ mox occidit ante diem.
Quæ vicit, veluti flumen Marpesia cautes,
Fœmellas multas relligione piâ.
Heu jacet! heu tacet! heu Christum pietate fideq;
Quæ coluit verâ, nunc tacet atq; jacet.
Heu ruit, heu fuit, heu, eheu! quam candida Virtus,
Quam gemit, ecce, Fides, nunc ruit atq; fuit.
Heu ruit, heu fuit, heu tacet, heu jacet! ecce modesta
Quam deflet probitas, simplicitasq; gemit.
Ast quid? Bulla misella sumus, sunt terror & angor
Luctusq; in mundo, bulla misella sumus.
Quare Iuridicæ jaspis, clarissime Doctor,
Ingeminare modos desine luctisonos.

B Chara-

Chara tuo cordi, morti data, mortua non eſt,
In requi Domini vivit & arce poli.
Tempus erit, quod vos iterum conjunget amantes,
Atq; dabit vobis Luce perennè frui.

Suſpirans lugebat.

Michael Grunebandus Prentzloâ
Marchiacus.


DUlcia poma cadunt altis pendentia ramis,
In ſervire uſu jamque volunt alijs.
Intereà rami triſtantur & hinc viduantur,
Iam ſoliis charis dum ſpoliantur ij.
Per Brumam grandi ventorum mole gravantur,
Et pluviis multis hi ſine fine madent.
Nec ſola hæc humeris, ſint pondera maxima quamvis,
Imponunt, etiam ſed mala multa ſuis.
Hæc licèt adverſæ fortunæ tela, libenter
Attamen accipiunt, & patiuntur idem.
Suſtentat namq; hos dum ſpes certiſsima ſemper,
Æſtas quod ſolito ſit reditura pede;
Quâ foliorum iterum viridi decorantur amictu,
Iucundis pomis, ut fuit antè, ſcatent.
Iam velut ergò agitur cum ramis & quoq; pomis,
(Quæ repræſentant glutina conjugij)

Sic

Sic agitur pariter, vir præstantissime, tecum:
Quod verum, hoc oculis aspicis ipse tuis.
Nam sicut cumulus foliorum decidit ingens,
Qui conjuncta sibi dulcia poma tenet?
Sic amor ille cadit florens, sic chara marita,
Firmè instar pomi quæ tibi juncta fuit.
Iam te rellinquit postremum jam VALE dixit
Iam meliore cupit conditione frui.
Instar adhuc rami, vitali vesceris aurâ,
Cogeris hunc tristi mente videre obitum.
Intereà jam tu viduaris, tristis es idem,
Semper & asiduis imbribus ora rigas.
Sed modus est semper servandus, cum Deus adstet,
Qui rursum ramis jungere poma potest.
Hic tulit, hic donare potest æstate maritam
Talem, quæq; siet moribus apta tuis.

apposui

Rütgerus zur Horst.



TRistia nunc rursus turbarum semina spargis
Parcarum suasu, sors inimica, fero?
Solsticialis enim paulisper ut herbula cuncti
Quod sumus, exemplo denotat illa suo.

Proh dolor! in cujus nunc turba operata Camænis
Funus conscripsit tristia metra pium.
Ecce maritali sociatus fœdere Doctor
Plangit cuî fletu lumina lassa tument.
Pignora chara thori blæso quoq; murmure luctus
Testantur, matrem sæpè ciendo suam.
Et sua quæ nondum dedicit discernere verba
Infans, impressùm dicere Mamma cupit.
O nimiùm vestra est injusta potentia Parcæ,
Quas penes est Vitam reddere, ferre Necem.
Nam nova quæ vestrum vix stamina duxerat u-
Alterius mox sunt illa resecta manu. (na.
Illa Sibyllinos condigna ut viveret annos,
Matrona egregijs dotibus aucta, fuit.
Ut digitos etenim novit, sic ordine Psalmos
Davidicos, jussu scripsit ut ille Dei.
At sic servâstis solemnia nempe sorores,
Illa quibus multùm nomina vestra cluant.
Hac tamen æternæ cœlestia gaudia Vitæ
Percipit angelico consociata choro.


Condolentiæ ergò apponebat

Martinus Rüdemannus Friber-
gâ-Mysus.

COpula cõjugij quot quãtaq; gaudia portet,
Non opus est dictu, res manifesta satis.
Ruptio conjugij luctus quot pondera portet,
Nunc viduo constat certius ecce tibi.
Certius est: quoniã cordis pars altera dempta,
Demptaq;, prôh; vitæ fida columna tuæ.
Dempta est: nec tetrici repetet ludibria Mundi
Quin mage præcedens te petet insequier.
Quod cupit, hoc olim fiet. Tu fidito Iovæ,
Hic etiam viduis novit adesse viris.

Condolentiæ ergò adponebat.

Iacob à Rammin N.M.



IN lacrymas nimiùm, Doctor clarissime, noli
Ire, licet centum sint tibi dicta VALE:
Sint tibi dicta VALE, cum conjux fida dolore
Victa furente, poli candida tecta subit.
Sic Numen voluit, quod, quam dedit antè, maritã
Reppetit, & patriæ in mœnia vera locat.
Non ergo invideas: magis hinc sic fare: sequemur
Iungemurq; animis, ære sonante, VALE.

Christianus Fidelis, Rupino
Marchicus

NUlla ſalus Mundo, ſed cœlo mille, bonorum
Hoc Thaſſus, cuncti lerna ſed iſte mali.
Nulla quies Mundo, ſed cœlo multa; laborum
Is pelagus, tutus portus at hocce pijs.
Ergo felices, quibus his Valedicere Mundi
Immundi turbis, omnigenisq́; malis,
Nec non in cœli ſine fine quieſcere portu.
Omnigenâq́; frui proſperitate datur.
His cum nunc læte, letho defuncta fruatur
Quis non felicem dicere vellet Eam?
Quis vero factam felicem plangere vellet,
Flere decet miſerorum atq́; dolere vices.
Quin potius gratemur Ei, cum morte quod ipſi
Alma quies venit, cumq; quiete ſalus.

Heinricus Schvvalenbergius Sedino Pomeranus.

FINIS.







